
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO :

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMIQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HUGO M·DONALD,

HIBERNUS,

SOCIET. REGIÆ PHYSICÆ EDIN. SOCIUS HONORARIUS.

*Subito cum tabida membris,
Correpto cæli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque, lues et lethifer annus.*

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1804.

REVERENDO
FRANCISCO SAUNDERSON,

MORUM URBANITATE,
VIRTUTIBUSQUE OMNIBUS QUÆ VIRUM ORNANT,

INSIGNI;

OB FLURIMAM ERGA SE AMICITIAM,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATI

EXIGUUM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

EA, QUA DECET, OBSERVANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

NECNON,

THOMÆ WILSON, M. D.

IN COMITATU CAVANIENSE

ARTEM HIPPOCRATICAM

FELICITER EXERCENTI;

PROPTER MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA;

HOC OPUSCULUM

SACRUM VULT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

- P. 4. l. 4. pro vices lege vires*
— 18. *l. 19. post frigidi dele punctum*
— 19. *l. 9. pro adhibendo lege adhibere*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

AUCTORE HUGONE M'DONALD.

INTER omnes morbos quibus mortales plec-
tuntur, nullus magis medicorum attentio-
nem sibi vindicare videtur, quam iste, de quo
pauca differere statui, quia frequentissime inter
homines grassatur, et nunquam periculo ca-
ret.

DEFINITIO, secundum CULLENUM, " Morbus
contagiosus ; calor parum auctus ; pulsus par-

A

vus,

vus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutæ*.” In hac definitione, et sub hoc nomine, omnes febres contagiosas, præter synochum, CULLENUS comprehendere voluit. Sed hic quoque, GREGORIO iudice, pro varietate tantum haberi debet.

HISTORIA MORBI.

HANC febrem contagione excitari pauci dubitant; sed quanto post tempore, quam in corpus recepta fit, incipiat adversa valetudo, inter medicos adhuc nondum convenit; hoc autem mihi pendere videtur, ex proclivitate corporis contagione affici, vel ex tabo magis minusve pestilento.

PLERUMQUE vero, paucos post dies quam materia morbifica corpus intraverit, sensus frigoris cum calore alternantis percipitur; deinde
adsunt

* Syn. Nosologiæ Method.

adsunt nausea et vomitus, cum doloribus variarum corporis partium, sed præsertim dorsi et lumborum. Jam æger affligitur gravedine, vertigine, et dolore capitis; animus tristis et multum demissus; timore malorum futurorum torquetur; ventriculus languidus fit, et omnes cibos firmiores recusat, sed maxime diætam ex carne fastidit.

SIMUL pulsus frequens et lingua albida est; tamen fere fitis non multum urget, neque calor plurimum auctus; quamquam summa cutis arida est, et ægrotans de calore multum conqueritur. Symptomata mane aliquantum levantur, sed vespere iterum ingravescunt. Noctu æger somnum non carpit; et si forte obrepat, parum levaminis affert, insomniis diris subito excitatus.

ÆGER his affectionibus plus minusve laborat, antequam se totum lecto affigere coactus est; ad res autem gerendas, ut solebat, prorsus

fus invalidus est; sed circiter finem primæ
 hebdomadis, omnia in pejus ruunt, omnia
 symptomata aggravantur, et æger se urgeri
 magna debilitate conqueri incipit; vices ar-
 tuum adeo imminutæ sunt, ut erectus sine
 auxilio stare non potest; nunc horror, grave-
 do, vertigo, et dolor capitis, magis magisque
 sæviunt; nunc tinnitus aurium, delirii præ-
 nuncius, urget, et dolore membrorum, dorsi,
 et lumborum, vehementius affligitur.

GRAVIUS simul urgent nausea et vomitus;
 facies fere pallida est, sed aliquando rubet;
 interdum genæ rubent et calescunt, dum ex-
 tremitates nasi et aurium frigidæ reperiuntur,
 et frons madida fit, frigidis et glutinosis sudo-
 ribus super eam erumpentibus; nunc delirium
 indefinenter urget, et æger incongrua mussi-
 tat, et quæ nemo astantium intelligere potest.

JAM observantur subsultus tendinum, cum
 tremore manuum; lingua arida et nigricans
 evadit;

evadit; in aliqua parte dehiscere apparet, cum marginibus colorem subflavum, interdum subviridem, habentibus; et si eam exferere valeat, æger multum intremiscere observatur; radices dentium crusta nigra obductæ conspiciuntur, et spiritus, qui antea fervidus fuit, nunc foetidus fit; urina initio pallida vel limpida, vapidæ cerviciæ haud absimilis,—in progressu morbi, vero, subfusca fit; interdum, secundum Huxhamum aliosque, nigra et foetida.

ALIQUANDO maculæ modo rubræ, modo subrubræ, alias subfuscæ vel lividæ, in variis partibus corporis, sed potissimum in dorso et pectore, deteguntur. Hæ petechiæ nuncupantur; in facie nunquam ferme observantur, in cruribus et brachiis interdum, sed rarissime; incerto morbi die apparent, aliquando circiter quartum aut quintum, alias non ante decimum quartum. An hoc pendeat ex natura contagionis, quæ morbum excitat plus minusve

nusve venenosa, an ex modo ægrum tractandi, incertus sum.

IN provectiore morbi stadio, debilitas, ob auctam violentiam omnium symptomatum, quæ enumeravimus, magis magisque urget; sudores copiosiores et constantiores evadunt; his, aut diarrhœa eodem tempore superveniente, exhauritur febricitans. Extremitates nunc continuo frigent, et ob defectum virium subsultus tendinum increfcit.

ADVENTANTI morte, oculi immobiles et concavi fiunt; vultus collapsus lugubrem atque cadaverosum aspectum exhibet; æger flocculos legit apparentes ante oculos ludere; vox deficit, aut adeo debilis fit, ut astantibus vix audiri possit; deglutire prorsus invalidus; ictus arteriarum adeo debiles atque celeres reperiuntur, ut vix numerari queant; urina et fæces involuntarie redduntur, et sine causa evidente lacrymæ defluunt; apthæ nigri

gri coloris circa os et linguam, et in faucibus; necnon vibices in variis corporis partibus sese manifestant; non raro sanguis e naribus, gingivis, intestinis, aliisque partibus profunditur. Omnia nunc symptomata testantur mortem appropinquare; singultus, tremores universales, animi defectiones, convulsiones, ultimas scintillas vitæ extinguunt, miserisque finem imponunt. Quoad hujus morbi durationem nihil certe judicari potest. Aliquando circiter quintum aut sextum diem æger convalescere incipit, sed hoc raro accidit; nam sæpe protrahitur ad decimum quintum, imo ad vigesimum. Cum morbus ad crisin more optato venit, convalescens de vertigine, tinnitu aurium, et multis aliis molestiis conqueritur, quæ paulatim evanescent, prout vires restituuntur.

CAUSÆ REMOTÆ.

CAUSÆ ex quibus morbus originem ducit,
in

in Prædisponentes et Excitantes fere dividuntur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

EXPERIENTIA fatis manifeste docet, omnia, quæ potestatem humanum corpus debilitandi habent, reddere aptius ut contagione afficiantur. Inter hæc medici annumeraverunt vitam sedentariam, exinanitiones nimias, deprimentia animi pathemata, venerem immodicam, intemperantiam, inediam longam, calorem, frigus.

Vita sedentaria.—Exercitationem ad sanitatem et incolumitatem animi et corporis conducere, nemo ignorat. Nisi corpus debita exercitatione firmatum sit, motus sanguinis languet, muscoli et nervi vires amittunt, et ob ventriculi atoniam concoctio non rite perficitur.

tur. Corpus sic relaxatum ad hanc febrem magis proclive fit.

Exinanitiones nimiae.—Modica vasorum plenitudo ad sanitatem necessaria est; hinc fit ut magna jactura sanguinis, sudores profusi, alvi-que profluvium, magnam debilitatem inducunt.

Animi pathemata.—Tantam sympathiam inter corpus et mentem adesse scimus, ut hæc vix perturbari possit, quin illud male afficiatur, et particeps affectionis fiat. Metus præcipue homines contagione affici valde opportunos reddit. Ipse ego hos a contagio immunes evadere vidi, qui periculum spreverant, dum contra timidi et mæsti tabo correpti fuerunt.

Venus immodica.—Haud dubitari potest, venerem immodice cultam animum et corpus multum lædere, ob nimium dispendium semi-

nis, liquoris ad vigorem generi nervoso imper-
tiendum necessarii.

Intemperantia et inedia.—Quantum fanitati
animi et corporis intemperantia nocet, nemi-
nem latet. Contra, corpus debilitatum et op-
portunum typho redditur, si alimentum nimis
parcum fit, vel ea natura ut non satis nutri-
menti præbeat.

Calor.—Calorem nimium debilitare, et ho-
mines ad hunc morbum proclives reddere, fa-
tis constat observando, febres malignas in re-
gionibus calidis sævire.

Frigus intensum, aut nimis diuturnum, ani-
malibus atque plantis valde nocivum est, præ-
fertim si humiditate conjunctum corpori hu-
mano nocet; multos morbos excitat, proclivi-
tatem ad typhum facit.

CAUSA EXCITANS.

MULTI opinantur hanc febrem excitari vaporibus ex animalibus, vel ex terra natis, dum putrescunt, exhalantibus. Huic autem opinioni accedere non possumus, quia quotidie videmus multos exhalationibus putridis obnoxios, quales lanii, coriarii, vel qui in sectionibus cadaverum occupantur. Qui, cum typho, præ aliis, haud implicentur, concludere, me iudice, licet, causam excitantem hujus febris esse contagium sui generis, quod ex ipso humano corpore, vel ex fomitibus, i. e. rebus tabo imbutis, semper exhalat.

PROGNOSIS.

SIGNA, quæ consolationem præbent, sunt, lingua nitida et humida ; fitis moderatior ; de-

lirium leve, neque mature oriens; saliva copiosior, cupiditate cibi simul redeunte; vires non multum imminutæ; somnus per noctem, et levis; diarrhœa moderatior, cum remissione symptomatum, præcipue doloris capitis; sudores lenes et calidi per totum corpus, neque per remedia stimulantia excitati; pulsus plenior et tardior ex usu remediorum cardiacorum; delirium et dolor capitis vino vel opio levata; et si, provento morbo, urina turbida et magnâ copiâ reddatur.

SIGNA, contra, infausta, et quæ terrorem incutiunt, sunt facies pallida et collapsa; vires adeo fractæ, ut æger non valeat in alterutrum latus recumbere, sed ad imum lectum delabatur; lingua arida fordidaque; deglutitio difficilis; ventriculi debilitas, cum anorexia, nausea, et vomitu; dejectiones frequentes, cruentæ et foetidæ; pulsus parvus, frequens, et debilissimus; delirium atrox et perpetuum; hebetudo oculorum; deliquium animi ex e-
recto

recto corporis situ; respiratio difficilis, sine morbo pulmonum; frigidi sudores in quibusdam partibus tantum orti; muscæ volitantes; fæces et urina, inscio ægro, redditæ; abdomen tumidum; totius corporis fœtor cadaverosus; singultus; subsultus tendinum; musculorum convulsiones. Omnia hæc, vel plura horum, simul concurrentia, mortem instare demonstrant.

RATIO SYMPTOMATUM.

DEBILITAS vi sedante exoritur, quam contagium in corpus receptum, in totum genus nervosum exercet.

PULSUS frequens pendet ex corde adeo irritabili, ut minori stimulo quam in sanitate pareat; debilis est, ob impotentiam cordis et arteriarum sanguinem, vi aut copia fatis magna, in extremas partes mittendi.

URINÆ

URINÆ pallor ex spasmo renum pendere putatur. Suppressionem aliarum secretionum, veluti salivæ, perspirationis, &c. constrictioni spasticæ ascribere nonnulli volunt.

STUPOR, vertigo, et dolor capitis, oriuntur ob motum sanguinis per cerebrum languidiorum.

ANIMI deliquium, quoties æger erigitur, oriri videtur ex sanguine justo minore quantitate ad caput misso.

URINÆ et fæces involuntarie redduntur, propter paralyfin, aut debilitatem muscutorum, quibus intestinum rectum et vesica urinaria clauduntur.

PETECHIÆ oriuntur ex laxitate arteriarum exhalantium, quæ sub cuticula sanguinem rubrum effundi sinunt.

METHODUS MEDENDI.

IN duobus stadiis hujus morbi, duo consilia medendi indicari videntur. In primo stadio remove fricturam spasmodicam, quæ inducta esse putatur organis secretoriis, præsertim vasis minutis cutis, et minuere diathesin phlogisticam. In secundo, debilitati obviam ire.

INTER remedia quibus primum consilium peragitur præcipua sunt, emetica, diluentia, laxantia, affusio frigida.

EMETICA multum laudantur ob potentiam spasmodum solvendi, febremque discutiendi. Proculdubio, si mature adhibeantur, maximam utilitatem præbent; haud raro morbum invadentem fugant; spasmodum, sanguinem per totum corpus æqualiter distribuendo, tollunt,
et

et fordes quibus stomachus et intestina gravantur evacuant. Inter medicamenta quibus vomitus excitatur his regionibus, præcipua sunt ipecacuanha et tartris antimonii. Ipecacuanha mitis est; et si æger multum debilitatus sit, præparatis ex antimonio semper anteponenda est. Multi medici tamen opinantur, præparations antimonii majore vi ad febres discutendas, quam ullum aliud medicamentum, polere. Tartarus emeticus, aqua solutus, atque exiguis dosibus assumptus, et omni quadrante horæ repetitis, donec supervenerit vomitus, ad spem optime respondet.

Diluentia, exhalationem per cutem excitando, ad spasmus solvendum conferunt, et mitigandum diathesin phlogisticam. Inter hæc præcipua sunt, cervisia tenuis, decoctum hordei, infusum lini acido tartarico vel citrico acidulatum. Fortasse cum beneficio sales neutri adhibeantur, quales sunt nitras potassæ, citras potassæ vel sodæ, et acetis ammoniæ.

Laxantia.

Laxantia.—Alvi durities, per totum decursum morbi, removenda est enematibus vel catharticis lenioribus. Hujus generis sunt, super tartris potassæ, elect. e fenna, et consimilia; et aliquando, uti liceat submuriate hydrargyri.

Affusio frigida remedium efficacissimum est ad febrem incurfantem discutiendam, si mox post impetum adhibeatur, et calor corporis non minor sit quam 98 gradus thermometri Fahrenheitiani. Si medicus timeat præscribere ut æger in frigidarium descendat, quia nunc morbus aliquot dies duraverit, totum corpus lavari potest aqua frigida vel tepida, prout calor sit, cum aceto mixta, haud sine commodo.

CONSILIUM SECUNDUM.—Medicamenta quibus his temporibus medici maximam fiduciam imponunt, ad debilitatem, quæ typho occurrit,

C removendam,

removendam, sunt cortex cinchonæ, vinum, et opium.

Cinchonâ in febribus intermittentibus aliisque morbis debilitatis plurimum pollet, et in typho ad spem haud raro respondet, si tanta quantitate, quantum stomachus ferre potest, assumpta sit.

Vinum.—Ex omnibus remediis quibus in typho utimur, hoc potentissimum et gratissimum est; roborantem et stimulantem vim habet; ventriculo pergratum est; motus cordis et articularum excitat; dolorem et delirium mitigat.

Opium in febribus multum opitulatur. Delirium sedat; somnum conciliat; diarrhœam cohibet; cor et arterias simili modo ac vinum incitat, et pro cardiaco rite adhibitum plurimum prodest. Frigus roboranti vi indutum esse haud dubitari potest; ergo applicari debet per liberam intromissionem aëris frigidi. In cubiculum,

biculum, five per administrationem aquæ frigidæ pro potu.

IN ea specie hujus febris, quæ a CULLENO Typhus Gravior appellatus fuit, debilitas tam magna est, ut sanguis et humores in putredinem vergere putantur. Huic vitio obstare nos oportet, roborantia et stimulantia, de quibus antea dixerimus, haud parca manu adhibendo.

FRIGUS, ut possidens magnam qualitatem antisepticam, libere corpori admoveri debet; sed ex omnibus remediis quibus in typho uti solemus, nullum magis laudatur quam flos cervisiæ. Febres putridas, ut vocatæ fuerint, hoc solo remedio curatas fuisse, certiores facti fuimus. Haud improbable est, acidum carbonicum, ob ejus vim antisepticam, proclivitati ad putredinem, quam contenta ventriculi et tubi intestinalis habent hoc morbo, obstare.

CUM

CUM per prudentem administrationem omnium remediorum quæ enumeravimus morbus fauste terminaverit, et æger nunc convalescere incipit; ne iterum in febrem incidat cura adhibenda, per diætam levem et facilem concoctu, et exercitationem moderatam, qualis non multum fatiget. Omnis intemperantia caute evitanda est, donec æger vires recuperaverit, et ad pristinam valetudinem redierit.



EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.
